



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An, si Episcopus instituat, sine consensu, vel præsentatione patronati, valida sit institutio, & an possit fieri præsentatio ad Ecclesiam non vacantem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

aliquid, etiam si declaratus taliter in iudicio, post legitime ex juris concessione factam institutionem, nolit eum presentare. Quod si tamen lis sit, sive controversia inter Episcopum, & qui Patronum se asserit, contendente Episcopo Ecclesiam liberam esse, altero vero pretendente, eam patronatam esse, & quidem sui patronatus, debet Episcopus œconomum, vel administratorem in tali Ecclesia constituere, dum lis expediatur, ne aut Ecclesia, aut alteri fiat præjudicium.

SECTIO V.

De potestate Episcopi & Summi Pontificis circa Ecclesias & beneficia patronata, & de amissione juris patronatus.

§. I.

An, si Episcopus instituat, sine consensu, vel presentatione patronati, valida sit institutio, & an possit fieri presentatio ad Ecclesiam non vacantem?

Institutio ab Episcopo in Ecclesia patronata sine presentatione patroni facta, ordinariè nulla est. *Illud 8. & c. ex insinuatione 14. h. t.* si tamen contra illam Patronus infra tempus ad presentandum concessam reclamet, ita ut nec tacite (præsens v. g. ordinationi, seu institutioni tali, & nihil contradicens, cum tamen possit) consentiat, vel tempus ad presentandum præfixum elabi patiat, nullo per negligentiam presentato, quo in casu devolutioni locus est.

Nunquam tamen vocatio ad Ecclesiam non vacantem est valida (ita ut si postmodum, cum ea vacaverit, & intra tempus à nota vacatione præscriptum, nullus à Patrono presentatus fuerit, possit liberè Episcopus eam conferre) & promissio à Patrono, de presentatione faciendâ, cum vacaverit Ecclesia, nullam inducit obligationem, cum etiam talis promissio nulla sit, & irrita arguitur. *2. & 3. de concess. preben. & c. 2. eodem in 6.* quia periculum captandæ alienæ mortis occasionem præbet, prout supra jam dictum.

§. II.

An Episcopus possit Ecclesiam, vel beneficium patronatum, donare, vel unire alteri Ecclesie, vel beneficio, & an Episcopo donari possit à Patronis jus patronatus in Ecclesiis aliena, vel propria Diœcesi?

Non posse Episcopum Ecclesiam, vel beneficium patronatum alteri Ecclesie, aut beneficio concedere, vel unire sine consensu patroni, sive laici hic sit sive Ecclesiasticus, ex præjudicio, quod fieret per talem unionem patronis, suum jus patronatus amittentibus, patet. Sicuti autem concessio Ecclesie per modum incorporationis à patrono facta, per subsequentem Episcopi consensum ratificari potest, ut ex eo tempore fiat valida, prout sumitur ex *c. suggestum 20. iunct. Gloss. verbo subsecutus. h. t.* ita valida etiam est concessio beneficii, vel Ecclesie patronatæ ab Episcopo facta, si consensus patroni ex postfacto accedat, quia patroni consensus